



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

40 Ochozia Iorami Filius. 41 Iolas Ochoziæ Filius. 42 Amasia Ioasi Filius.  
Saxifragum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

Quos auget, & adorat.  
 Quid enim colat nisi mortua, qui vivos odit.  
 Impieratis magistram audiit Conjugem.  
 Illam nempe Athaliam, Achabi mortalium scelestissimi  
 „ Nam sœpè impietas est dotalis.  
 Uxori exemplo citius raptus quam patrio.  
 Mascula thura effeminavit.  
 Nam efficacissima suadendi oracula sunt oscula.  
 Ad inania pavidus, Heliæ minas non pavet.  
 Nam perituri Tyranni argumentum est  
 In securis metus, in metuendis securitas.  
 Vero igitur eventu Judæam prædantur Arabes,  
 „ Nam Regum delicta Regnum iuit.  
 Infelix populi conditio,  
Quia præmitur à Tyranno, Barbaris tradi;  
 Et desperare, quia perit.  
 Regiæ conjuges raptæ, Filii trucidati.  
 Itaque infelix cælebs & orbus,  
 Conjugem lecto, natorum letho funestatus,  
 Flevit, à nemine fletus.  
 Nam populi mulsum, Tyranni lacrymæ.  
 Sic acerbissimæ morti servatus,  
 Animam cum visceribus pone recessit.  
 Ut intelligas quo loco mentem habeant igna  
 Rogo derum caruit, non tumulo.  
 Hoc etiam præposterè :  
 Quod igne fraudatus quem meruit,  
 Tertiam impetravit quam terruit;  
 „ Nam Tyranno maxima pœnarum est,  
 „ Post obitum non lucere.

**OCHOZIA**  
**JORAMI FILIUS.**  
**JOAS OCHOZIÆ FILIUS.**  
**AMASIA JOASI FILIUS.**  
**SAXIFRAGIUM.**  
 Tres hæc statuas,  
 Inter Christi Proavos pridem collocatas,

Matthæus fregit dum tacuit.

Excretum Achabum Matris Patrem

Respicit hæc vindicta;

Cujus Nepotes ad tertium usque diris voverat Vates,  
Iaque ne Christi Majores Achabi Minoribus miscerentur,

Nepos, Pronepos, Abnepos

De sacro Stemmate exulantes,

Nomine carent, & effigie.

His alia vita, non alia vitia:

Primus primâ, medius mediâ, ultimus ultimâ

Ætate defecit:

„ Ut scias, ânni esse crimina, non pili.

Omnes imminentem puerinæ fugerunt gladium:

Primus hostilem, alter maternum, tertius servilem:

Parcente falce, donec scelera maturescerent.

Omnes laude indigni, digna laude incepere:

Nam vana simulacra,

Primus diu non coluit, ultimus coli vetuit,

Medius colentes occidit.

Omnes ad volutabrum reversi, Idola restituunt:

Hostilia primus, aulica secundus, paterna tertius,

Omnes monitoribus asperi:

Primus Heliam non arridentem deridet;

Tertius minanti Esaiæ mortem minatur;

Medius Zachariam lapidum cultus exprobantem,

Lapidibus obruit.

Omnes tempublicam perdunt.

Primus postularitio fœdere;

Alter emptitia pace;

Tertius voluntario duello.

Omnes Templum dedecorant;

Quod primus deserit. secundus spoliat, tertius spoliari patitur.

Omnes conjurato ferro ignaviter sublati.

Primus dum latet, alias dum stertit, tertius dum fugit.

Omnes denique mali:

Non ita ut altero pejor alter.

Sed omnes omnium pessimi.

Omnes igitur Marthæi calamo, ut Judæi gladio, confossi;

Nec inter vivos, nec inter extinctos numerantur.

„ Nam quos premit oblivio, non natos puta.